

VITALIANUS PONTIFEX

SYNODVM ADVERSVS HISTRIONES CELELRAT.

O D E

Fallit theatrum scenicus Histrio,
Qualis profundi in margine Nereos
 Formam dolosus multiformem
 Dissimulat, simulatque Proteus.
Ille & Leonis, Tigridis & ferae
Vultum induebat, de grege squamneo
 Nunc in repentinum Draconem
 Ibat atrox, colubrumue pictum.
Et qui corusco flammeus impetu
Horrore densum perculerat nemus,
 Extempore in flumen liquatus
 Finitimo dabat arva ponto.
Numquam fideles sic habitus gerens,
Factusque scenae Proteus Histrio,
 Dum mutat innatam figuram,
 Exuit una hominem, fidemque.
Quis tam fugacem, quis valida manu
Larvam tenebit? Vincula vincula,
 Romane Pastor, congregabis
 Innumeris glomerata nodis.

Iamque inquietas, Histrio, diximus
Depone formas: inclytus en tua
 Vitalianus mille vinclis
 Brachia post humeros retorquet.
Ex hoc dolosis nulla coloribus
Incauca falles pectora simplicis
 Turbae, nec ultra venditabis
 Veste boni mala palliata.
Sed restat alter nunc quoque Proteus
Natura veri, quae male subdola
 Transfereur in cunctas figuras,
 Atque alios alio ore ludit.
GIBERTE, quae nunc gloria te manet;
Assume Patrum pectora, et ingeni
 Vinclis coerce captiosam,
 Ac fugientem animo praehende .

Lodovicus Sfortia Vignatus Acad. Anim.